



CORUM

1544-1590

1544





EX BIBLIOTHECA H.W.OCHS,  
AB OCHSENSTEIN.

Nicolai. Sc. Vi.

A Selneckeri f. D. Nicolai  
Catalogus principum  
rum Conciliorum  
oeconomiarum, Fran-  
cofurti, 1571, 8.º.

2. — Analectus de  
principiis Doctrinae  
Christianae Capitibus  
quod ab Adversarijs  
corrumpuntur, Fran-  
cofurti 1571.

3. Schilteri s. Zach. / de  
paptismo, Lipsiae  
1577.

4. Sarcerij s. M. Crasmi  
postilla in Evangelio  
festivalia, Marpurgi  
1549

5. Huber s. Sam. Ora-  
tio de Sisydis Ce-  
clesiae dijudicandis  
Wittenbergae, 1593

6. Perlity s. P. Georgij  
Introductio in Passio-  
nem Jesu Christi,  
Gorlicij, 1583.

7. Leisenrithy / Joh.  
Missiva Ecclesiasti,  
ca, Colonia, 1584.

8. Selneckeri / D. Nicol  
Commune factio de  
verbis Actorum  
III. vers. XXI. Henri.  
copoli, 1571.

ORATIO  
DE DISSIDIIS  
ECCLESIAE DIU-  
DICANDIS.

*Autore*

SAMUELE HUBERO  
Helvetio Bernensi, Professore  
SS. Theologiae in Academia  
Vitebergensi.

*Subiuncta etiam est eiusdem intimatio.*



VUITEBERGAE

*Excusa typis Matthæi VVelaci.*

Anno

---

M. D. XCIII.



ILLVSTRI ET GÈ-  
NEROSO DOMINO, DN.  
HENRICO Burggrauiò & Baroni à  
Dhona &c. salutem & pacem à Chri-  
sto IESV Domino nostro.

**H** Rit fortasse, Illustris &  
generose Baro, ista ora-  
tio, quã in ingressu mu-  
neris mei, ad quod nuperrimè  
vocatus sum, habui, Borussia et  
praesertim Datiscanis, qui pro-  
cellis Calvinianis turbantur,  
non incommoda, ad cognoscen-  
da & diiudicanda religionis  
discrimina. Quia itaq; novi,  
hoc meũ consilium optimo ani-  
mo suggestum, & diiudicandi  
rationem G. T. placere, & istã  
orationem publicè à me proposi-  
tam, animo beneuolo esse audi-

A 2      tam,

ia, G. T. hanc transcribere vo-  
lui, ut animis simpliciorib. flu-  
ctuantib. in tanto apud Borus-  
soscertaine, aliquod remediũ  
inde praestetur, & simul quoq;  
G. tuae pro munifica congratu-  
latione, qua me in ipso limine  
excepit, aliquod gratitudinis  
specimen exhiberẽ. Deus G. T.  
ad amplũ Ecclesie suae afflictæ  
presidium & emolumentum  
alat & conservet. Viteberge  
1593. die Nat. Iesu Christi sal-  
vatoris nostri.

G. T.

deditissimus

Samuel Huberus.



O R A T I O

3

DE DISSIDIIS

ECCLESIAE DIU-  
dicandis.



VM IN AMPLISSIMO  
hoc confessu & corona vi-  
rorum Doctissimorum,  
Magnifice Domine Prore-  
ctor, & ornatissima concio, de multis  
varijsq; rebus institui oratio posset:  
non tamen mihi est animus ingenij alia  
quam vim ostentare, quæ pertenuis in  
me est, aut in quæstionibus remotis ab  
utilitate publica, & supervacuis, hoc  
exiguum dicendi tempus absumere:  
sed proximè accedere ad id quod hu-  
jus ætatis, officij & vocationis meæ,  
horum temporum, vestræq; utilitatis  
ratio potissimum exigere videtur: idq;  
rerum, quas scire plurimum interest,  
breuissimo succinctissimoq; complexu.  
Nec dubito quin tale aliquid expecte-  
tis, & idcirco hic comparere volueritis.

Nostis verò omnes quotquot ade-  
stis, Vos inquam celeberrimæ hujus

A 3

Eccle-

*Propositio.* Ecclesiae & Academiae praesules, vosque bonarum sacrarumque literarum studiosi, quibus certaminibus hoc nostrum aestuet seculum: quantae sint invicem animorum exulcerationes, quanta religionis Christianae discrimina & pericula: quanta novorum inauditorumque dogmatum eluvies, & quae hactenus hujus Ecclesiae & Academiae per πᾶσαι σῶντες & falsos doctores exorta sit miserabilis vastitas. Dicendum itaque est initio, unde potissimum tanta suum principium sumat, clades: deinde quomodo in tantis dissensionibus, verum à falso, lux (ut scriptura loquitur) à tenebris discerni, dignosci, & dijudicari queat. Et quia ampla dicendi materia, in multas se diffundens quaestiones, jam praesto esset, opera est danda, ut perspicue & breviter praecipua quaeque & maxime accommodata huic coeui, proponantur.

*Pars I.*

Ubi de principio, ex quo ebulliunt istae acerbae in Ecclesia dilgadiationes, dicendum erit, non insistemus jam diu in causis conquirendis remotis; haec enim

enim

DE DISSIDIIS, &c. 5

enim facile à quovis etiam mediocriter literis sacris imbuto intelligi possunt. Siquidem satis constat, quòd Diabolus mendacijs autor, hostis idemq; DEI & veritatis cœlestis, istas passim excitet turbas, qui vitæ nostræ invidens, lucem execrans, Christi calcaneo insidians, mortem, tenebras & excidium nominis Christiani moliens, ideo tum multibus omnia complet, ut suum hoc Regnum extruere & latissimis pomœrijs extendere queat. Hic Spiritus errorum, procellarum, turbinum, scelerum, omniumq; calamitatũ autor ideo dicitur, non quòd illis tantũm delectetur, aut quòd aliunde impulsus, efficacis alterius manus se tantũm ministrum præbeat, sed quòd ex sese, ex quo in veritate non stetit, istud faciat, & ex PROPRIO mentiatur, ex proprio omnia designet mala, & quòd ipsius sint causas aut efficacitates illæ, cum hominum corda in tetros pertrahuntur & provolvuntur errores. Est enim Spiritus mendax in ore istorum prophetarum: & operatur in filijs inobe-

*Diabolus  
caussa pri-  
ma & effi-  
ciens dis-  
sensionum.*

O R A T I O

*Caluinista*  
*Deum au-*  
*torem pec-*  
*cati faci-*  
*unt.*  
*Hermannus*  
*Rennecher,*  
*aurea sal.*  
*cat. fol. 29.*  
*Et 41.*  
*Zanchius*  
*de Nat.*  
*Dei, fol.*  
*690. 693.*  
*Et in mis-*  
*cel. Theol.*  
*fol. 142.*  
*Et 146. Be-*  
*na Vol. 1.*  
*fol. 37 r.*  
*401. 409.*

dientiæ. Quid hoc? quis istuc ignorat?  
 dicitis. Non quidem hîc diutius im-  
 morari volo; attamen cùm vel hoc ip-  
 sum omnium vestrûm confessione &  
 tacito nutu decantatissimum & no-  
 tissimum esse oportebat, non tamen in  
 suo inconvulsum apud adversarios con-  
 sistere potuit fundamento: hi enim Sa-  
 tanæ regnum nequaquam tale descri-  
 bunt, sed sicut morum simulatione sese  
 angelos lucis venditant; Ita hoc ipsum  
 quod diaboli solius est, & suam eius  
 propriam designat vim, penitus tran-  
 scribunt DEO, μεταμορφῶντες DEVM  
 in ipsum diabolum, eiq; ascribentes or-  
 riginem, vim, occultamq; propagatio-  
 nem mali in hoc mundo, tantamq; sica  
 ut axiomata blasphemiarum ipsorum  
 sonant, ut diabolus ipse nec cadere, ne-  
 que nos tentare & perdere possit absq;  
 impulsu, vi & efficacia Dei, cui soli  
 istam operationem ascribendam esse  
 autumant. Hoc ipsorum impurum &  
 blasphemis lacerum os, suo tempore  
 retundemus (DEO propitio) peculiari  
 disputatione: jam præcisa ulteriori in-  
 sectatione

sciatione horum impiorum hominū,  
 sciamus & verè statuamus, non DEVM  
 (autor qui est lucis & vitæ, & qui alias  
 quàm luci & vitæ convenientes ope-  
 rationes efficere nec vult nec potest,  
 hoc ipso, quia DEVS est) sed diabolum  
 ex sese & post lapsum naturâ sua male-  
 dicta & in æternum insanabili, istos ef-  
 flare & emittere furores in medium  
 Ecclesiæ. Respectu autem organorum,  
 quæ in oculos & sensus nostros in-  
 currunt, dicitur caussa remotior. Pro-  
 prior verò hæc dicitur, cūm homines  
 intuemur, φιλάυτες, φιλαργύρες, ἀλά-  
 ζουτες, ὑπερηφάνες, τετυφωμένοι, 2. Tim. 3.  
 qui Luciferi sui ingenium vel in hoc  
 etiam imitantur, cūm sese super Deum  
 extollere, & solio ipsius, i. verbo, quo  
 Ecclesiæ præsidet, vel everso, vel per  
 tyrannidem occupato, suas volunt ceu  
 divinas adorari technas & dolos, quibus  
 fidem omnemq̃ Christianam reli-  
 gionem subvertunt.

*Caussa dis-  
 sensionum  
 propinqua  
 vel instru-  
 mentalis.*

Hi tales sunt pleriq̃, ut suam ultrò  
 verrant domū, & diabolo prostituant,  
 qui in eis operatur, ut in filijs ἀπειθείας.

A v

Nam

*Col. 2.*

Nam inflati cum sint, ut Paulus loquitur, φυσιδμενοι ὑπὸ τῶ νοῦς τῆς σαρκὸς αὐτῶν, ideò opportunè sese Diabolo offerunt, ut suos in has amphoras suas infundat errores, tanquam inflatorum animorum alimenta, quibus postea sese efferunt; & κενόδοξοι effecti, quiescere non possunt, nisi mundus eis immergatur penitus.

Ibidem appellat eos Paulus rectè, quod sensu carnis sint inflati: relinquunt enim verbum Domini, quod ipsis sordescit & foetet, tanquam nimis vulgatum & protritū in populo Christiano, atq; insuper rationi humanæ ubique dissentanea tradens, ideoque

*Juda Epistola.*

ἀποδιορίζοντες, ψυχικοὶ; καὶ πνεῦμα μὴ ἔχοντες, sese segregant ab omnibus, quæ scriptura loquitur, & quæ in Christiano populo sunt usu recepta; amant ἑτεροδιδασκαλίαν,

*1. Tim. 6.*

& non accedunt ad sanos sermones Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, τετυφωμένοι & νοσῶντες περὶ ζήτησεις καὶ λογομαχίας, & uno verbo, sequuntur suam rationem, hinc ψυχικοὶ appell

appellati; denique sine spiritu Dei, ductū  
 cæcæ & flatuosæ suæ sequuntur natu-  
 ræ. Atque ubi isti non citò reprimuntur,  
 tanta turgent opinionum novarum  
 foetura, ut dirumpi posse videantur;  
 nec occasione deest diabolus, ut alias  
 super alias in hæc vascula sua infundat  
 hæreses: sicut in descriptione Elihu *Iob. 32<sup>o</sup>*  
 scriptura eos graphicè depinxit: Pleni  
 (inquit) sunt sermonibus, ac venter  
 eorum est quasi mustum absque spiracu-  
 lo, quod lagunculas novas dirumpit.

Porro in ista corda ubi diabolus pi-  
 cem & sulphur impiorum suorum do-  
 gmatum infuderit, facilè illa inflam-  
 mantur & ebulliunt summa cupiditate,  
 ut excitent (sicut Paulus loquitur) *1. Tim. 6.*  
 invidias, contentiones, blasphemias,  
 suspensiones malas, & conflictationes.  
 Hic flatuosus uter Carolstadium quoque  
 olim contra Doctorem MARTINUM  
 LUTHERUM, & contra eundem, me-  
 um quoque conterraneum M. Hul-  
 dericum Zwinglium impulit, procul  
 dubio.

Sunt ergo proximæ hæ causæ, fasti-  
 dium

dium & contemptus verbi, cupiditas rerum novarum, rationis humanae superbia, amissio spiritus sancti, & eum primis hominum corda fastu & inani scientia turgentia atq; hinc ἀυθαδέη & φιλαυτα facta, quæ avidè veluti sitientia materiam ad contentiones, omnia illa sugunt & deglutiunt, quæ spiritus masculus ingurgitat.

*Causse  
προκα-  
ταρκτι-  
και Calvi-  
nistarum.*

Habent etiam corda ista emancipata servituti Satanicæ, suâ προκαταρκτικῶ, nimirum ubi de erroribus deserendis admonentur, ut semel emissum errorē non modò nō deserere velint, sed illum insuper tū tueantur, tum novis accumulēt atq; amplificent errorib. Observas te Calvinistas nostros, qui cū errorem eum (unum tantū exemplum proponā) non abijcerent de verbalicommunicatione idiomatum in Christo, & sæpè fuissent admoniti, orituram tandē abnegationem extremam omnis redemptionis partæ per Christum, non modò monitis non obtemperarunt, sed urgente & premente eos spiritu eo, à quo erant, τετυφωμένοι, in istas Mahometanas



metanas eruperunt voces, Maledictū esse hominem, qui orationem suam ad totum dirigat Christum in unione etiam hypostatica consistentem: paulò post quoque omne ipsius redemptionis opus in dubium vocarunt, & suas ut Judas loquitur ἐπαφριζοντες ἀιχάας, suas despumantes ignominias aut dedecora, iam asserunt θεοδευαγγέλιον esse, Christum esse factum reconciliationem pro peccatis totius mundi; imò asserunt aliquando Christum non amplius sessurum ad dexteram DEI Patris omnipotentis. Hæc & similia (nolo iam omnia enumerare) eructarunt, ex quo de suis admoniti sunt erroribus, quos in principio disseminabant & multis persuaserant, nullos se alios quàm primos illos & perpaucos errores animo fovere, & ea inani falsaque persuasione multos ἀσκηίτες in Religione ad suam hac esca pertraxerunt servitatem.

Causæ sunt adjuvantes, quòd nati sunt in mundo hoc non tantum applaudores, & eos præsertim, quorum aures prurirunt ad studium rerum novarum

Lamb. Danaeus in examine lib. D. Chem. fol. 415. 416. 420.

Kimcd. de univers. redempt. thes. 8. Paræus apol. Bibl. Neostadi. fol. 125.

2. Pet. 2.

Causæ adjuvantes.

varum in religione, sed etiam patronos  
 & defensores, quorum præsidio con-  
 fisi, multò plura ex sua Chatedra pes-  
 stilentia spirarunt dogmata, quàm as-  
 liàs spectante audienteq; Christiano  
 populo ausi fuissent in medium evo-  
 mere: Nec non proverbij vim (ubi di-  
 citur: Mulus mulum scabit) verissimè  
 demonstrarunt, ut hi in gratiã suorum  
 Patronorum multas novas reciperent,  
 prius inauditas, & proprio etiam judi-  
 cio antea reprobatas opiniones, easdèq;  
 propagarent, in significationem grati-  
 tudinis, quòd ipsi vicissim ab his Pa-  
 tronis adepti sint hospitium & prote-  
 ctionẽ, ut sua quoq; possent parere &  
 excludere ova, id est, ut scriptura loqui-  
 tur, basiliscorum ova: ex quibus enati  
 qui jam sunt pulli per totam volitant  
 Ecclesiam. Hanc vastationem Eccles-  
 iæ, cum mutuas sibi collocant operas  
 in corrumpenda religione, hi serendis,  
 illi vi externa defendendis erroribus,  
 comparat Hoseas Clibano ardenti, &  
 massæ quæ fermento penitus est cor-  
 rupta. Causam quoq; adiuvantem præ-  
 buit

Hof. 7.

buit, ipsorum in studijs humanioribus & linguarum cognitione studium & exercitium indefessum, quibus suos a se fabre effingere didicerunt errores: nec dubito Calvinum stili, quam adhibuit in conscribendis Institutionibus, expositione, multa in casses suos elegantia pertraxisse ingenia. Diaboli hac insignis est vafrities.

Hæ sunt causæ præcipuæ, quæ dissensionibus alimenta & ipsam facem subministrant; atq; in eas oculos dirigere oportet, ut sciamus, non nisi sublati causis tolli posse effecta; & frustra lamentari nos de Ecclesiæ miseris, nisi ibi occurratur, unde defluit ista in omnem Ecclesiam miserrima labes. *Finalis*

Finalem si desideramus quoque *caussa.*  
causam obiter audire, illa se duplicem exhibet spectandam. Nam quantum ad I.  
DEVM ista permittentem, hic est finis sive usus, ut hylopo verbi per multas controversias acriter attrita, fragantius in Ecclesia spirent articuli veræ & salutiferæ agnitionis IESV CHRISTI: multi enim de persona Christi, de vi  
Verbi

Verbi prædicati, de Christi merito & redemptione per ipsum parta, articuli sunt illustrati, & fragrantiam suam ediderunt, qui ocio Ecclesia obtorpescens te dudum fortasse emarcuissent. Et hic amplissimus est controversiarum usus.

Accedit, ut DEVS velit Satanæ furores & immanem conatum suffocandi veritatem cœlestem, in oculos & aures nostras stringere, ut discamus diabolum & infernum ipsius, omnēq; vim tenebrarum odisse: ut discamus quoq; DEVM invocare, & pro synchero cultu ei gratias agere. Hunc usum hoc tempore nostro diligenter expendere decet.

2. Quoad verò Diabolum & mancipia ipsius, certo certius videre debemus, hos motus & has concertationes ab ipsis excitari, ut Christum omnemq; pietatem si queant, funditus evertant.

*Pars II.*

*Ratio discernendi veram religionem a falsa.*

Ad alteram partem jam accedemus, ut videamus, quomodo in tantis controversijs verum à falso dignosci possit: simpliciorum enim audiuntur querelæ, non posse se verum à falso secera

secernere, ijs ipsis, qui falsi sunt doctores, & has intestinas Ecclesiae turbas excitant, clamantibus, se nihil nisi orthodoxum docere & tradere, atque vel contra inveteratos belligerari mores, pravaeque consuetudines, vel novis occurrere erroribus, qui ingruant.

Hisce querelis opportunè nobis occurrendum erit, hoc loco & his auditoribus, qui maximè rationem, hos ut oporteat devitare seductores, audire gestiunt. Sunt autem quaedam maximè conspicua & in promptu.

Primum est, ut unusquisque hanc adhibeat industriam, quam scriptura appellat ἐρευνησθαι τὴν γραφὴν. Atque hoc omnino à nobis requiritur: dicis autem, hoc mihi valde molestum erit? agè, non molestum erit, si non molestum est nolle seduci, & cum corpore & anima deijci in gehennam.

*Primus  
modus iudicandi &  
discernendi.*

Iam in perscrutatione scripturae, animum ad legem & testimonium applicabis, aut tibi non illucescet auro-  
ra: Atque statue Spiritum sanctum in ea loqui, & hanc eam habere authoritas-

B tem,

*Scripturae  
simplicitas  
& puritas.*

*Matth. 5.*

tem, quæ sonat: DOMINVS DIXIT. Spiritum sanctum scias esse (& hoc est unum ex tuis κριτηρίοις immotis) veracem, cui oppositum est esse fallacem. Sub veritate continetur ἀπλῶς τῆς ἀληθεύουσας λόγῳ: Et talis est Spiritus sanctus, ut nobis DEI arcana reseret, simplici, perspicuo & illustri dicendi genere: lux enim est, & Verbum ipsius lux est, & qui in verbo ipsius ambulant, in luce ambulant: ipsius quoque operarij aut œconomi mysteriorum ipsius lux sunt, & nihil tectum aut occultum loquuntur. Habes, ubi lucem cognoscas, nimirum si prædicatur Verbum in articulis fidei nostræ sua simplicitate & puritate coruscum, candidum & apertum.

Iam vicissim fallaciæ signum & nota fallacis spiritus est, si doctrina proponatur tortilis & versatilis, inconstans, à verbo dissentanea, novis implicita & quotidie aucta accrescentibus verborum & phrasium insuetis potentis; ubi (notate bene) scriptura ipsa ab istis doctoribus multis varijsq; & in se

in se pugnantibus difflatur tropis & figuris, ἀλλοιώσει, μετωνυμία, καταχρήσει &c. præsertim eo in loco, ubi fundamenta salutis traduntur, ibidemq; ab adversarijs in simplici suo usu verba scripturæ non relinquuntur. Hujus præ cæteris insigne documentum edidit Jacobus Kimedoncius Theologus Heidelbergensis, qui omnes scripturæ locos sonantes de præstita satisfactione Christi pro peccatis totius mundi, peculiari scripto sigillatim discerpfit, & varijs difflavit contrarijsq; glossis, ut si maximè nondum possit homines à Christo penitus absterrere, saltem Christiano populo hanc per petus transfigat spinam, scripturam in stud mysterium regni Christi tradentem esse incertam, & instabilem, nullaq; habendam autoritate. Atq; idcirco necesse habuit Calvinista ille, ut contrarijs ubiq; sententijs & explanationibus collideret, & non tantum scripturam, sed seipsum quoq; oppugnaret. Annon spiritus mendax hic est, qui sibi nusquam constat, non alios tan-

*Jacobus  
Kimedon-  
cius Theo-  
logus Hei-  
delbergen-  
sis.*

2. Cor. 1.

tū sed seipſū quoq; illudit & neq; certius aliquod argumentum fugacis fallacisq; Spiritus esse potest, quā cum ipſemet ſuis diſſiſus gloſis, ſeipſum novis ſemper impugnat, & ſeipſum evertit. A quo Spiritu verus & Apoſtolicus a deo alienus eſt, ut Paulus recte dicat, ſuum ſermonem non eſſe **E T I A M & N O N**, ſed quod apud ipſum ſit **E t i a m** manere **E t i a m**, & quod **N o n** ſit, manere **N o n**. Hinc discernuntur itaq; miniſtrilucis & tenebrarum in ipſis lucis & tenebrarum fundamentis. Atq; in tenebricoſo hoc hominum genere, quod aſcitijs vocabulis, phraſibus, figuris, tropis alijsq; technis ſuam involvit doctrinam, hoc quoq; cum primis obſervandū eſt, quod ſibi alijsq; omnem intelligendi vim intervertat, ut teſtimonium amplum ſit, nihil ipſi penitus, cū luce lucisq; miniſtris eſſe commune Ad hanc itaque dijudicandi verum à falſo rationem revocemus ſinguli controverſias, quæ intercedunt um lucifugis Calviniſtis, horumq; ſimilibus, & ſedulo hoc opus illorum perpēdatur, quod ſuam



suam doctrinam non aliter extruere queant, nisi scripturâ cardine veritatis & simplicitatis suæ semper emota, ut constet non spiritum DEI audiri in Ecclesia eorum, sed spiritum eum qui spiritui DEI oblatrare & obgannire solet.

Secundus est modus, ut observentur astutiæ atq; versutiæ, quas Paulus rectè κρυφαίαι & κλυδωνισμοὺς appellat: à quibus spiritus Dei tantum est alienus quantum ipsi cum tenebris & fallacijs inimicitarum esse scimus. Spiritus enim DEI suum candorem & lucem illam magnam præ se fert, atq; mysteria DEI sine omni peregrino fuce & artibus hujus mundi liquidò proponit, coruscus semper & magnificus in rebus suis, sicut de Christo ipso dicitur, quod instar gigantis erecto pectore & fronte incedat, gladium gerens διχοτομοῦσα & penetrantem, vi sua propria fulgidum, & nunquam in opere suo pavidum & timentem: unde etiam ministri ipsius ab omni fuce alieni verbum nudè & simpliciter proponunt,

*Secundus  
modus.*

*Verbum  
Dei fulgidum & penetrans.*

*psal. 45.*

*Marc. 3.**2. Cor. 11.*

non aliud sentientes, aliud docentes; multò minus aliud promittentes, & rectè aliud *πραεσαύγοντες*: & rectè appellantur filij tonitru. Atque hoc est, quod Paulus dicit: Non pudet me Evangelij: & alibi: Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. Dicere vult Paulus, Verbum Domini salvatoris mei intrepidè & propalàm annuntio, Dominoq; committo eius eventum. Scio quidem mundum ringi: verùm quia non meum sed Domini mei Verbum est, ideò nihil moror, quid mundus dicat & judicet, nolo aliud verbis polliceri, & re ipsa aliud introducere: absit ut dolosè & fraudulenter magnum hoc negocium Domini tractem. Hoc Calvinistæ nunquam facerent; sunt operarij dolosi & veritatis jactitant confessionem: aliud autem introducunt, illudq; quod contra eam moliuntur, mirificè instructis artibus oblinunt, & quod propalàm pleno ore confiteri non audent, clàm hominum animis instillant. Si ipsis ani-

mus

mus de doctrinae suae aliqua certitudine  
 Deiq; praesidio esset conscius, nunquam  
 forent adeo pavidi & tremuli in eius-  
 dem promulgatione, sed essent animo  
 imperterrito, in tanto negotio, quod  
 artibus mundi hujus non eget, quippe  
 cum sit vi propria & coelesti suffultum  
 & corroboratum, veritatemq; hanc ur-  
 gerent adversus frementem & furen-  
 tem diabolum & omnem pestilentiae  
 suae cathedram. Verum hic spiritus in  
 Calvinismo spirare non potest, nec in  
 Domino fiduciam suam collocare po-  
 test, fraudibus eget, & fraudum harum  
 multiplici nisu sese in visceribus suis, ut  
 forex, prodit. Et harum fraudum hoc  
 quoq; insigne est testimonium, quod  
 veritate indefinenter oppugnanda,  
 hanc nulla alia via nisi turpissimis &  
 crassissimis mendacijs, ubiq; confictis  
 criminibus oppugnare potest, cujus  
 etiam proprium fit, nullo perfundi rus-  
 bore, si maximè putidissimorum men-  
 daciorum manifestè convincatur. Quid  
 hoc sit, melius intelligent studiosi, si  
 scripta evolvant polemica. Atq; haec

etiam dijudicandi sanam doctrinam à morbida, facilis ac expedita est ratio.

*Tertius  
modus.*

Tertius etiam hic est modus, ut inconstantia doctorum suam edat infallibilem notam doctrinae falsae, & studij diu in eadem homines seducendi. Ubi enim spiritus DEI spirat, nihil aliud auditur quàm idē ipsum semper sibi simile, suumq; id habet robur & fundamentum in constantissima & incommutabili DEI voluntate, quae nequaquam huc illuc flexilis & arundinea esse solet. Iam tu Calvinianum huic opponas spiritum, & illico experieris eum suas opiniones & ab alijs taxatas, quas tueri non potest, doctrinae scilicet impiae passim erumpentibus pustulis, easdem resorbere & inficiando in fauces retrahere blasphemias, aut in alium contorquere sensum, atque mox alia è corrosis visceribus expuere dogmata, non minus pernitiōsa quàm illa priora fuerant. Iudas in Epistola sua rectè eos appellat κύματα ἀγρία δαλάωνος propter opinionum fluctuationem & intemperiem; Itemq; D. Petrus

trus

trus appellat nebulas turbinibus agitata-  
 tatas: Idemq; stellas planetas, quæ nun-  
 quam uno in loco consistunt, sed vagæ  
 huc illuc sese circumferunt. Hæc incon-  
 stantia magnum est documentum &  
 infallibilis nota, doctrinam eo vitio in-  
 famem factam, originem suam à spiri-  
 tu bono & certo, ut eum David appel-  
 lat, originem non ducere, neq; adversus  
 tentationes præsidium & robur præstare.

Psal. 51.

Quartus insuper modus hic est, quod  
 fucatam e mentitamq; vitæ rationē ple-  
 ricq; impostores sibi asciscunt. Veniunt  
 n. vestitū ovium: induunt speciē spiritus  
 lucis: & per *ἡμερολογίας καὶ εὐλογίας*  
 decipiunt corda simpliciorum: habent  
 speciem pietatis, interim autem vim  
 eius abnegant, *ἡμερολογίας* sunt, quan-  
 do verbis mellitissimis permulcent ho-  
 mines, & singulare quoddam præ se fe-  
 runt studium, omnium salutem pro-  
 movendi, ut eo pacto incautos ad se at-  
 trahant, *εὐλογίας* sunt, cum videntur  
 semper precari, præsertim autem ubi  
 in gravissimis sunt deprehensi flagi-

Quartus  
modus.

Hypocrisis

Matth. 7.

2. Cor. 11.

Rom. 16.

rñs, & convicti errorum fraudumq̃,  
 tunc precatiunculas suas jactitant: a-  
 junt, nolle se malum malo rependere,  
 orare potius velle, ut Deus inimicis  
 ignoscat, se nolle turbare Ecclesiæ paz-  
 cem, omnia conferre consilia eò, ut pax  
 & tranquillitas alatur, id est, cum hor-  
 ribiliter vastarunt Ecclesiam, cum ve-  
 ritatem huiusq̃ assertores omni convi-  
 tiorum genere transfixerint, velle jam  
 quiescere, non placere hunc in Eccle-  
 sia strepitum &c. Atq̃ jam mihi vi-  
 deor oculis coràm intueri Gryneum,  
 ut Calvinistarum antesignanum, ita hac  
 in arte Roscium & artificem omnibus  
 suis socijs longè anteferendum. Dices  
 fortasse, ista dijudicandi inter veros &  
 falsos doctores ratio non satis valet: Isti  
 enim ipsi quoq̃, qui veritatem annun-  
 ciant, compositis ad veritatem mori-  
 bus eandem opere, quod consistit in  
 vitæ puritate & sanctimonia pacisq̃  
 studio, profitentur? Respondeo, ve-  
 rum hoc est; at interim nemo inficiari  
 potest, quòd seductores sub specie vir-  
 tutum assentandi simulandiq̃ tantum  
 sibi

sibi adsciscant colorem, ut ex dulcibus sermonibus, confragosa & suspiriosa voce, faucibus raucidulis, genis lacrymosis, benè mensuratis gressibus, concinnè collecto palliolo, & quibuscunq; alijs rationibus sese fucare possunt, sese ostentare mirum in modum possint, longè aliam præferentes sanctitatem, quàm vulgatam, quæ in simplicitate fidei & morum consistit. Scriptura novit quantum Ecclesiæ hoc scelere incommodent, qui hac angelorum fucata sanctitate incedunt, & iussit cavere: Quæ propter etiam nos hoc τὸν μῆτρον inculcamus ad dignoscendum verum à falso, eoq; in scriptura ita præceptum esse novimus. Videas autem vicissim doctores veritatis, fronte exporrecta, minimè caperata, aut oculis in sinum dejectis, videas voce mascula, viribus magnis, animo alacri veritatem personare, & tanto cum sonitu, ut totus concuti etiam queat infernus. Magnum isti habent animum propter mentem consciam veri, & propter DEVM, cuius veritatem cupiunt, magno & excelso

celso atque intrepido spiritu ubique patefacere. Similiter aliam isti & longè à seductoribus diversam rationem pacis & tranquillitatis fovendæ alendæq; sectantur. Seductores enim incendia miscunt in ecclesia, dum veritatem erroribus oppugnant, & convicijs occultisq; consilijs & dolis insidiantur orthodoxis Christi ministris, omnia quæqua versus complentes turbis; hoc vbi factum est, tunc sese tranquillitati dedere volunt, atque idem ut omnes faciant, magno expetunt desiderio, & si opus est, etiam lachrymis: Cur hoc? Multum ipsorum interest; nam si nemo evigilet, nemoq; incendium restinguat, sanctuli illi incendiarij suo opere probè defuncti videntur. Ingeni autem Christi I E S U Servi, illi quoque pacem expetunt, sed non illam, quæ consistat in deflagratione nominis divini & orthodoxæ religionis, sed quæ expulsis erroribus efflorescat in vera & salvifica D E I agnitione. Hoc discrimen benè considerandum est.

Quin-



Quintus denique modus est, qui *Quintus  
modus.*  
 propriè spectat ad ipsam materiam, de  
 qua agitur: Ibi discrimen veræ & fal-  
 sæ doctrinæ maximè est perspicuum.  
 Qui enim Christum prædicant, hunc *Prædicatio  
de Christo.*  
 proponunt populo spectandum tan-  
 ta lucis evidentia, ut inde sibi audito-  
 res solidum gaudium, consolationem  
 & animi tranquillitatem conciliare  
 possint: nec non omnia dicta, om-  
 niâque pronunciata totum spirant  
 Christum, sicut Divi LUTHERI sci-  
 mus doctrinam fuisse, in hunc finem  
 directè & unicè spectantis, ut Chri-  
 stum in scriptura nobis demonstraret,  
 & manifestum faceret: Sicut Christus  
 ipse dicit, Spiritus sui proprium fore,  
 ut de ipso testetur, & ipsum glorificet:  
 atque hoc testimonium illa omnia in  
 Christo assidue declarabit & illustrabit,  
 quæ ad corroborandam fidem in scri-  
 ptura continentur. Singulare hoc præ-  
 cæteris omnibus est, quo veracis spi-  
 ritus Oeconomus seu dispensatores re-  
 gni CHRISTI à falsis discernuntur.  
 Falso-

*Calvinus  
de Christo.*

*Compre-  
hensa in V.  
Testamen-  
to.*

Falsorum enim hoc vicissim proprium est, ut rarò de Christo loquantur, scripturam de Christo loquentem subvertant, aut saltem sicco pede prætereant, demum etiam subvertant omnia illa, quæ in Christo fiduciam constituunt, alunt ac conservant. Hic jam Calvinistarum lege ac relege libros, invenies quàm frigidè Christum prædicent, invenies Calvinum, à quo isti nomen & professionem suam sortiti sunt, pleræque vaticinia comprehensa in Veteri Testamento de Christo destruentem, & in alium disturbantem sensum: Et si de Christo mentio apud illos incidat, rarò, imo rarissimè invenies, quòd hominum fiduciam in eum excitent & stabiliant; in hoc enim duntaxat sunt operosi, ut Christo omnem abstrahant gloriam, omnemque vim nos salvandi, ipsiusque meritum suspectum apud homines efficiant, atque adeò, ut sensim scripturam impijs glossis ceu spiculis confossa, Christus quoque oblitteretur, & fiducia in eum non modò cadat, sed clam etiã semina iniiciantur, quib. ani-  
mi

mi ab isto salvatore absterriti fatiscant  
 ad quamvis aliam doctrinam, & præ-  
 fertim Mahometismum, ad cuius pro-  
 fessionem omnia sua jam instruxerunt  
 cū Alcorano principia ὁμογενεῶν. Quos  
 circa si maximè à seductoribus istis ali-  
 quando fiat, ut de Christo multas im-  
 pleant pagellas, nihil tamen nisi inex-  
 hausta Diaboli in eis est decipiendi libi-  
 do: profundunt enim multa de Chri-  
 sto, & magnas aliquando ampullas  
 spargunt, ut videantur apud imperitos  
 Christi amore aliquo teneri. Sed quid  
 de Christo prædicarent, cū eum omni  
 spoliarent officio salvādi: & procul du-  
 bio ideò tantūm de eo multa cōmemo-  
 rent, ut nomine ipsius inani homines  
 deludant: atq; ubi eos ad se attraxerint,  
 in dubitationis de salute sua voraginem  
 demergant: Imo & Christum tanquam  
 illudentem promissionibus maximæ  
 hominum multitudini invisum faciunt.  
 Est ergo mera garrulitas, & dolus in  
 istis hominibus, si maximè multa de  
 Christo jactitent. Hunc Spiritum *αυτῶν*-  
*μολογῶν* rectè appellat Divus Paulus  
 Tit. 2.  
 2. Tim. 36  
 vanis

vaniloquum & seductorem: & alibi eo imbutos appellat corruptos mente, privatos veritate, introducētes κενωφωvιας: Longē autē evidentissimē eos describit alibi, cūm appellat hostes crucis Christi. Nec mirum, calamos in scriptis eorū tantopere frigere in declarando explicandoq; regno Christi, cum jam omnia, quæ regni hujus sunt, concidere & dissipare conati sint, rectē appellati à Divo Paulo concisio, quo constet totum illorum opus in hunc prospectare finem. Neq; puto quenquam adeò ignavum abjectiq; animi esse inter Christianos, qui non videat spiritus huius in delendo extirpādoq; regno Christi immanes furores, gravioresq; indies futuros, nisi blasphemix, quas jam eructarunt magna vi & contentione, eis inimas deiciantur fauces Interim tamen speramus ad tantam ἀκμὴν seu blasphemiarum fastigium erupisse illorum impietatem, ut possimus cum Paulo dicere: Reprobi sunt facti, sed non proficient amplius, siquidem amentia ipsorum patefacta est. Nemo enim consideratis

*Philip. 3.*

*Philip. 3.*

*Calvini -  
starum fu-  
ror ad sum-  
mum ve-  
nit.*

*2. Tim. 3.*

deratis horrendis ipsis blasphemijs, quibus intra paucos annos Christianam prophanarunt religionem, adeo imprudens & imperitus esse potest, qui non videat, hoc eos jam attigisse punctum, ut Christum Salvatorem mundi, doctrinae suae vi ex professo negent: & eo in loco consistere, ut vel detraeta larva, Christiana religione eiurata & repudiata ad eos perfugiant, qui sine involucris propalam id faciunt: aut agnita scelerum suorum mole, ad Christianum redeant gregem? Eo enim in loco, in quo huc illuc nutant, diu consistere non poterunt: ubi vero procellae iudicii divini ingruent, multa haec manifestabunt. Neque frustra quicquam ominamur: Eo jam progressi sunt, ut ulterius progredi non possint, si inter Christianos sibi hospitium quaerant: Sed Deo propitio & miserante Ecclesiam suam, dissultabunt in opinionibus & consilijs suis saevi & immanes isti hostes vulnerum Iesu Christi, & sentient malleum DEI quo indies gravius jam tunduntur rigidae & contumacissimae ipsorum cervices.

Hæc sunt pauca quædam sed perspicua argumenta, quibus ad dijudicandas hujus ætatis controversias animus veritatis cupidus sese cõmodè instruere potest: Hæc nos significamus etiam perfunctoriè, (quia oratio hæc longiorrem explicationem non patitur) & cupimus ut studiosæ juventuti diligenter inculcentur, ut futuri Ecclesiæ excubitores eiusmodi instructi præparatione adlectionem scriptorum tum doctrinalium, tum pugnantium sese melius accingant. Et possunt quidem hæc generaliter usurpari in discernendis omnibus controversiis: at in istis quos sustinemus cum Calvinistis conflictibus suum excellentissimum usum habent: ibi enim diligenter inspiciatur, utrum nos, an verò illi, purum & liquidum habeamus verbum in articulis controversiis, atq; num Verbum in propria & genuina sua usurpetur significatione, an verò contortâ, & sensu scripturæ ipsi contrario, id est, num in religione nostra audiamus spiritum DEI loquentem

*Usus huius doctrine in controversiis cum Calvinistis.*

quentē & loquēti simpliciter credamus:  
& ex opposito,annon religionē adver-  
sarij habeāt, in qua spīritū habent oblo-  
quentem & contradicentem Spīritui  
Scripturæ. Hoc examen per omnes in-  
stituatur articulos, & libri tum nostri,  
tū adversariorū, tali cum iudicio legan-  
tur: Ubi invenerimus purum Dei Ver-  
bum seu *ἰκτόν* in fidei articulis, illud se-  
quamur iudiciū, quòd in cōtroverfia de  
Cœna Dominica D. Lutherus magno  
spīritu proposuit. Agē inquit, imagina-  
re tibi jam ceu ante oculos videres no-  
vissimum diem, & oculis corām cerne-  
res iudicem illum magnum, de contro-  
verfia inter Lutheranos & Zuving-  
lianos pronuntiaturum: tu tuas, & alter  
suas defendet partes. Lutheranus dicet,  
Mi Iesu Salvator, verax & omnipotens  
Deus, promisisti mihi in sacrosancta  
cœna tua, & verbis testamenti tui cor-  
pus & sanguinem tuum iussisti accipe-  
re & comedere: ego simpliciter tuæ in-  
stitutioni & promissioni sum assensus: si  
sum seductus, nemo me alius seduxit,

tu ipse & solus me seduxisti, & ideo sum  
seductus, quia firmiter credidi, te ve-  
rum & omnipotentem esse: age itaq;  
ducas me eò, quò ducuntur, qui abs te  
seducuntur, & non malè peribo. Ex  
adversa parte dicit Zvinglianus, tua  
verba sic quidem sonabant, quòd cor-  
pus & sanguinem tuum mihi in cibum  
& potum institueris: sed non potui in  
animum adducere meum, te hoc cum  
in cœlo sis, præstare posse, ideoq; ver-  
bis eam ingessi explicationem, quam  
captui humano convenientissimam ar-  
bitrabar futuram. Hæc jubet Lutherus  
animo sic pensitare, (adeundum enim  
erit magnum illud tribunal) & tum ut  
numquenq; apud se colligere, utri se  
malit parti tutius & animo tràquilliori  
addicere. Hæc itaq; diligenter confide-  
ret: Dehinc consideretur, an apud nos,  
an verò apud illos doctrina strophis &  
technis multaq; fallendi & mentiendi  
arte incrustetur: Ibi .n. facilè perspici-  
tur, an spiritus vitæ aut spiritus mortis  
doctrinam gubernet. Tertiò apud u-  
tramq;



tramque religionem perspiciatur, ubi in doctrina versatilis & inconstans defendatur sententia, ubi scribendo & resorbendo religionis antistites suam doctrinam modò affirmant, modò ejurant, & nunquam ubi in dogmatibus aliquibus deprehensi sunt, pede fixo consistere audent. Quartò etiam mores inspiciantur hypocritici, qui ut fructus arborem patefaciunt, & in scriptura passim tanquam falsæ doctrinæ argumenta certissima sunt notati, cum scilicet impostores non communi duntaxat cum alijs defungi volunt sanctimonia: sed sanctiores cupiunt haberi reliquis hominibus omnibus: eòque conformant sermonem, & gestus potissimum, quibus lupinum occultant cor: & si nulla hujus alia extent ὑποδείγματα, mores Grynæi nostri apud Basilienses, & Tossani apud Heidelbergenses inspiciantur, qui quandocumque lubet, sermone & habitu, lachrymis insuper Crocodylicis adeò liquefcunt, ut propè sanctuli isti homunciones ijs dif-

*Grynæus &  
Tossanus  
par Phari-  
sæorum.*

fluere videantur. Denique quod maximum est (vos præcipue alloquor eruditos & pios iuvenes) in discrimine religionis diligenter perpendite, utra in parte inveniatis Christum prædicatum, in quo miseri & perturbati peccatoris animus refugium, solatium spernens suam certa cum πληροφορίᾳ collocare possit. Atque ad finem saltem istæc notate, Christum prædicari à nostris adversarijs, qui in humana natura, glorificationis, quæ consistit in omnipotentia, omniscientia & omnipræsentia, non acceperit quicquam, ideoque ea in parte, hoc est humana natura, ubi eum quicquam divinæ gloriæ accepisse negant, adorandum non esse; verbum ipsius non esse arcanae voluntatis ipsius revelationem aiunt, sed dolum, quo maxima pars hominum inani salutis spe illectetur: pro nemine quoque, nisi pro aliquibus occulto Dei consilio conceptis esse mortuum. Videtis itaque, si nihil aliud per orbem spargerent Christianum, quomodo hæc ipsa plus quam satis essent

Beza Resp.  
2. ad Coll.  
Mumpelg.  
fol. 173.  
174.

sent ad extirpandum fiduciam in Christum, unde etiam testimonium irrefragabile extat, quòd bombum & strepitum duntaxat de nomine Christi inter Christianos celebrent in doctrina sua, ea astutia, ut in his delitescere queant, interim verò Christum in animo eorum penitus mortuum & sepultum esse. Ambo hæc itaq; jam ad considerationem adducite vestri exitus ex hac vita: Primum, ut jam perpendatis, quo sit anima vestra futura loco, si de Christo nihil aliud hauserit, quàm quod Calvinistæ passim ingurgitant; quid censeatis vobis animi futurum, si nervi fiduciam in Christum dirigendi falce hac sint demessi & decussi? Alterum est, ut in quavis religione & præsertim in articulis, in quibus dimicatur de animæ salute, attentè observetis, num Verbum, Verbum inquam (nam in eo operatur Spiritus Sanctus, & per illud duntaxat domicilium in nobis suum sanctificat Deus) prædicetur; an verò glossæ, glossæ, glossæ, quæ ut sunt humanæ traditiones, ita animo nullam largiuntur

*Duo sunt oculis semper obijcienda.*

*Glossæ, glossæ.*

consolationem, nullamq; vitam; atque insuper arena sunt, super quam Christus negat domicilium & firmum salutis fundamentum ædificari posse: nam sunt instabiles ad ventos & torrentes tentationum, & exciduntur, quia sunt plantationes hominum, imò sese proprio evertunt turbine, cum glossa glossis semper eludi & dissipari queat. Solum Verbum est, Verbum vitæ, & manet in æternum. Itaq; hac procaci in spiritum Sanctum glossandi libidine, adversarij falsitatē doctrinæ qua Ecclesiã pessundant, manifestè demonstrant.

Hæc sunt, quæ de ortu dissensionum & ratione earundem dijudicandarum, hoc loco & hoc tempore proponere libuit, quibus, ut spero, studiosa juvenus instructa, ad concertationes seculi nostri armata et cum utilitate non exigua accedere potest. DEVS verò corda illuminet, ut hæc meditari, iisdemq; obsequi omnes queamus. Cui gloria sit & honor in omnia secula,

AMEN.

SACRO-

INTIMATIO.  
SACROSANCTÆ  
THEOLOGIÆ STUDI-  
OSIS IN INCLYTA ACADE-  
mia Vitebergensi salutem  
em precatur.



*Um sanctus Propheta David mentis fide illustrata aciem intenderet in mirabilem gubernationē Ecclesie in qua maxima Dei opera exsplendent: erupit in istud operum divinorum præconium, Psalmo 67: Mirabilis (inquit) Deus in sanctuario suo, Deus Israël dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: Benedictus Deus. Cùm Deum mirabilem nuncupat, talem eum describit, qui eventus rerum ordinet, eosdemq; producat, eiusmodi, qui omnibus causis mediis, quatenus in oculos & iudicium hominum incurrere solent, omnino sunt contrarij. Tales ubi prodeunt, hominem in admirationem, & propè animi deliquium compellunt, atq; hanc, ubi fidelis mens eorundem intuitu tincta est, exprimunt confessionem, quòd Deus sit mirabilis, & iccirco benedicendus, id est, ubiq; in operibus ipsius laudandus, & celebrandus, populusq; Christianus instituendus, ut studiosè decurrat viam præceptorum ipsius, atq; inter densissimas carnis humane tenebras experrectâ sit & vivida spe ad me-*

I N T I M A T I O.

metam praeceptorum Dei, in qua, ut primùm eam attigimus, ceu caelo quodam perlucido emicant & effulgent eventus operum DEI, antea tecti & tenebricosi prudentiæ humanae, dum contra spem in spem credendum erat. Atq; hoc præcipuum Christianæ professionis est exercitium. Quapropter etiam David Deum celebrat mirabilem in sanctuario suo. Et ut solus sit mirabilis, hominesq; ab omni participatione hujus gloriæ longissime excludantur & separentur, quantumvis Deus per hos mirabilia opera sua exerat, disertè addit Propheta, hanc efficaciam & virtutem, quæ in eventibus declaratur, Deo soli adscribendam esse, atq; adeò in solidum, ut si maximè per homines opera fiant maxima laude digna, sciamus tamen quod ille tanquam  $\kappa\upsilon\gamma\iota\omicron\upsilon\pi$   $\alpha\iota\tau\iota\omicron\upsilon\pi$  solus vitalis efficaciae autor per organa sua hæc vim spiret, & exequatur: ita ut semper maneat firmum & incòcussum quod David dicit: Deus benedictus, & alibi: non nobis, sed nomini tuo gloria. Et Paulus dicit: Factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei, quod datum est mihi secundum efficaciam potentiæ illius. Sicuti ipsimet etiam cælestes exercitus indesinenter canunt hoc præconium in regno Christi: Deo gloria in excelsis. Horum Dei operum, quæ præsentis hoc tempore, ex ista celeberrima Ecclesia & Acad: Viteb: per totum longè lateq; effulserunt orbem Christianum, non opus est, nec vacat jam, longam contexere seriem: hoc

I N T I M A T I O.

hoc maxime conspicuum & in promptu est, quod  
 Deus ope mirabili labascenti orthodoxæ religioni,  
 & fraudibus Calvinistarum propemodam oppres-  
 sa subvenerit; priusquam verò faciem misericor-  
 diæ & subsidij revelaret, impijs permisit sulcos in  
 dorso piorum ducere; permisit homines super ca-  
 put Ecclesiæ suæ sese extollere; permisit furores,  
 quibus sævius adversarij hanc, quam vllam aliam  
 Ecclesiam (certabat enim Diabolus hoc in loco,  
 pro aris & focis suis) quassarunt: permisit dilu-  
 vium omnium Calvinianorum errorum ruptis ex-  
 estuare aggeribus. Hoc carni humanæ apparebat  
 extremum intendere religionis salutisq; excidi-  
 um, & in multis maximisq; sanctorum Dei suspi-  
 rijs atq; querelis, nullus extius harum miseriarū  
 sese proferebat, neq; homines omni sua pruden-  
 tia aliquem constituere potuissent. Mirabilis au-  
 tē ille Deus, & benedictus ille Deus, postquā redijt  
 in forti manu ad visitandū populū suū hunc pate-  
 fecit occultorū consiliorū suorū eventū, ut hæc Ec-  
 clesia & hæc schola, quæ postremum habuit Eliā  
 Doctorem, & Calvinianis illecebris sese inescari  
 aliquandiu passa est, horrendo illo spectaculo co-  
 ram aspiceret, quæ Calviniani Diaboli potentia  
 & quæ vis tenebrarum sit, ubi seculi sui viribus  
 subnixus cœperit κατὰ κρείσσιν τῆς σοφίας  
 τῶν κρείσσιν. Nam quasi prostrata & protrita glo-  
 ria Christi suas jam cœperat horrendas efflare  
 blasphemias.

## I N T I M A T I O.

blasphemias in sacrosanctum nomen Christi Salvatoris, non tantum eius convellere testamentum, sed ipsum etiam testatorem, assumtam dehinc eius sacrosanctam carnem Machometanis maledictis incessere, opus redemptionis generis humani non tantum in dubium vocare, sed etiam non obscure tum redemptionem, tum Evangelium universum, ceu praconiū hujus redemptionis, vanitatis arguere, atq; eo modo universam labefactare Christianam religionem: Cui evestigio annexum erat, ut Diabolus in hac secta sua efferveret adversus Evangelij Iesu Christi restauratores, & potissimum adversus electum organum Dei, quod praedicandae & annunciandae verae redemptioni adversus tetros errores, novissimo hoc seculo à Deo constitutum & populo Saxonico donatum erat. Nec hi nominis Christi hostes contenti turpi abnegatione veritatis caelestis per divum LUTHERUM in hac Ecclesia & hac Schola traditae, hoc insuper ausi fuerunt, ut nova sua ethnica seu pagana dogmata, quo vendibilia facerent, sub titulo ceu hederæ Viri hujus magni palliarint, & summa consceleratione venerandi hujus nominis semina futurae (nisi fortiter obsistatur) extremae defectionis ab omni Evangelio omniq; redemptione parata per sanguinem filij Dei, per orbem disperiserint Christianum. Hunc ineffabilis calamitatis nimbum multiplici versutia, fraude & tyrannide



## I N T I M A T I O.

nide parturire cœperunt, adeò ut planè ducerent,  
 nullum mentiendi fallendiq; nefas à se alienum  
 esse oportere, dummodo hanc quam moliebantur  
 stragem salutis quam citissime edere possent. Hæc  
 & similia permisit Deus paterno consilio, ut cum  
 iam exeruit dextram suam, ad succurrendum in-  
 opinato & mirabili præsidio suo, spectaculum istud  
 Calvinianæ πᾶνσπυίας oculis indefinenter oc-  
 curreret, & admoneret officij atq; diligentia porro  
 sepiendi hoc ovile & hunc sacrosanctum montem  
 Sionem, ex quo ante 70. annos intemerata vox  
 Euangelij in totum exiit orbem, contra istos non  
 lupos tantum sed veriùs immanes Centauros.  
 Quòd Deus hoc voluerit, qui mirabilis est in ope-  
 ribus suis, satis abundè liquet. Prædicetur itaq;  
 & agnoscat in sanctuario suo, atq;  
 hujus rei gloria dextera fortitudinis et misericor-  
 dia ipsius ascribatur. Similiter, quod mirabile  
 in oculis nostris comparet, Ministros voluntatis  
 & fortitudinis ipsius, in quibus voluit ἐνεργῆσαι,  
 eligi, ac mirabili providentia hos ex varijs locis,  
 præsertim quos Calvinianæ procelle satis acriter  
 divexarunt, ad tale munus evocari, ipsius provi-  
 da sapientia & consilij, quæ jam ut meridianus  
 sol clarescunt, acceptum esse ferendum, certo cer-  
 tius sciamus. Magnus est Deus, & fortis, & mi-  
 rabilis in operibus manuum suarum: & ita nobis  
 semper pia consideratione cum omnibus pijs ex-  
 clamando

I N T I M A T I O .

clamandum est. Atq; ego sanè absorbeor aliquan-  
do aspectu abyssi viarum Dei, cum me misellum  
hominem statim à colloquio Mumpelgartensi ex-  
citaret, ut Magistratum & patriam meam com-  
monefacerem adversus novam quæ tum eruperat  
doctrinæ Calvinianæ eluviem. Quod pio Zelo tum  
aggrediebar, nunquam futurum sperabam, ut ex-  
tra patriam, imo nec extra curiam Bernensem  
efferreretur, oculis meis satis profundè occlusis, ut  
non prospicerent, neq; ulla cogitatione anticipa-  
rent, negotium hoc per multas nationes & popu-  
los divulgandum, & nervos Calvinis no per Hel-  
vetiam incidendos, aut Gryneum Apostatā occul-  
tum perniciosumq; vastatorem Saxonica Ecclesiæ  
(primo inter cæteros, qui huic Ecclesiæ multis in-  
sidiati sunt clandestinis consilijs, loco ponendum)  
autoritate sua diminuendum fraudesq; ipsius in  
Ecclesiam & Rempub. Basiliensem aperiendas  
esse. Quis animo suggestisset, fore ut carcere mul-  
ctatus, ad tribunal semel atq; bis ductus, ad di-  
cendam causam ex vinculis, desertus à toto propè  
mundo, præsertim fratribus in tribulatione exa-  
rescentibus? quis, in quam, hominum menti sub-  
iicere potuisset, futurum ut post maxima discrimi-  
na in exilium demum pulsus, sinu VVirtenber-  
bergico exciperer, ibiq; castra nanciscerer, ex  
quibus Calvinianum, classico passim jam perso-  
nante in patria mea, oppugnarem Cacodæmonem,  
longeq;

## INTIMATIO.

longeque validius & opportunius, quam si patrio in-  
hæssem solo? Iam Deus me vasculum misericor-  
diæ suæ per vocem seu tubam celeberrimæ hujus  
Academiæ, clementissimè approbante Illustrissi-  
mo Principe ac Domino, Domino FRIDERI-  
CO VVILHELMO Duce Saxonie, &c,  
Administratore Electorali, evocat ad ὀψῆσθαι  
ὑμῶν, & communes collegarum labores, & ad  
conservandum sinceræ in hac Ecclesia religionis  
puritatem adversus ejusdem hostes & corrupto-  
res. Huic muneri obeundo Deus vires suas ex  
misericordiæ suæ sinu benignè suffundat: ipsi laus.  
Atque ut capessendi muneris speciem exhibeam,  
XXII. Xbris, IX. hora, pro consueta inclytæ  
hujus Academiæ lege orationem ad istas dijudicā-  
das controversias accommodatam, publicè reci-  
tabo, Deo benè juvante. Cui gloria in secula,  
AMEN.

Samuel Huberus designatus  
Professor Theologiæ,

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



154 A 44

AB 154 A 44

(X 220 3682)


219.

D. NICHOLSON  
CATALOGUS  
PRAGMATICUS  
CONSTITUTIONUM  
OECONOMICARUM

1571-1572  
1583-1584

AB  
1571-1572  
1583-1584





Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



IO  
IDIIS

E DIU

1 S.

VBERO

Professore

cademia

i.

m intimatio



GAE

ei VVelacio

II.

